

sionem bonam: unde dicitur: *Actio displicuit*, scilicet Judæorum, *passio grata fuit*, scilicet Christi. Ergo contingit eundem actum esse bonum, & malum.

2. Præterea. Ut in V. Physic. text. xxxix. dicitur, unus motus est continuus, & eadem ratione una actio est quæ est continua. Sed contingit in eadem continua actione, vel motu, ut in eundo ad lesiam, primo haberi bonam intentionem, postea am, & è converso. Cum ergo ex intentione iudicetur actio bona, vel mala, eadem actio potest esse mala, & bona.

3. Præterea. Primus motus est peccatum, ut supra, dist. xxiv. quæst. 1. art. 2. dictum est. Sed qui resistit primo motui, non peccat, immo meretur. Contingit autem, quod adhuc primo motu durante, cum prius aliquis non resistit, postmodum resistat. Ergo contingit circa eundem motum esse bonitatem, & malitiam.

4. Præterea. Sit ita quod aliquis dominus præcipiat famulo eleemosynam dare, & quod dominus bona intentione, & ex charitate præcipiat, famulus autem involuntarius, & coactus det: constat quod datio eleemosynæ illius est actio domini, & servi actio. Sed dominus in illa datione meretur, famulus autem peccat. Ergo contingit in eadem actione esse meritum, & peccatum.

5. Præterea. Ponatur quod aliquis in peccato mortali existens aliqua suffragia faciat pro defuncto in purgatorio existenti: constat, quod iste suffragia faciens sibi non meretur, cum charitatem non habeat; sed ille qui in purgatorio existit, meretur diminutionem poenæ, vel plenam absolutionem. Ergo eadem actio potest esse meritoria, & non meritoria; & eadem ratione bona, & mala.

Sed contra. Matth. vi. 24. *Nemo potest duobus dominis servire*. Sed per bonam actionem Deo servitur, per malam vero diabolo. Cum igitur una sit actio quæ est unius agentis, videtur quod non possit esse una actio bona, & mala.

Præterea. Contraria non possunt esse simul in eodem. Sed bonum, & malum contraria sunt. Ergo non possunt esse in eadem actione.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum unum, & ens convertantur, secundum hoc quod res se habet ad esse, ita se habet ad unitatem. Est autem in re duplex esse considerare: scilicet esse quod est ipsius secundum se, quod est esse primum, & substantiale; & esse superveniens, quod est secundum, & accidentale: & ideo contingit quod aliquid secundum se consideratum, est unum, quod tamen secundum aliquid, quod est sibi accidentale, pluralitatem habet: verbi gratia, lignum continuum, cuius una pars est alba, & alia nigra, ipsum quidem in se, in quantum est lignum, est unum; sed secundum illud esse quo est coloratum, est multa, & non continuum. Cum igitur actus exteriores participent bonitatem, & malitiam moralem, sicut quoddam superveniens, & accidentale sibi, in quantum tales actus sunt imperati à voluntate; continget aliquem actum huiusmodi esse unum, secundum se consideratum, & tamen esse multa, secundum quod ad genus moris refertur, secundum quod moraliter bonus, vel malus dicitur: & ideo bonitas, & malitia

(1) Al. operans.

ARTICULUS V.

Utrum aliqua actio humana sit indifferens.

1. 2. quæst. xvi. art. 8. & 9. & de malo quæst. 11. art. 4. & 5.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod aliqua actio indifferens inveniatur in actibus humanis. Nihil enim potest esse medium inter bonum, & malum nisi indifferens, quod neque bonum, neque malum est. Sed bonum, & malum, sunt contraria mediata, ut in prædicamentis dicitur. Ergo aliqua actio est indifferens.

2. Præterea. Sine charitate non potest esse aliquod meritum. Sed non est dicendum, quod qui non habet charitatem, quolibet suo actu peccet, vel demereatur: quia consultur ei ut aliquos actus ex genere bonorum faciat. Ergo videtur quod aliquis actus sit qui neque est meritorius, neque demeritorius; & sic idem quod prius.

3. Præterea. Nullus actus, vel voluntas bonitatem habet, nisi referatur in finem dilectionis, ut supra dictum est. Sed contingit frequenter agere etiam quædam quæ secundum se mala non sunt, quæ in finem dilectionis non referuntur. Ergo huiusmodi nec bona, nec mala erunt, & ita erunt indifferencia.

4. Præterea. Accedere ad mulierem, quædam est actio, nec de se bonitatem, vel malitiam moralem dicit; cum nulla circumstantia iste actus sit vestitus, secundum quam aliquis ordo rationis in eo appareat. Ergo contingit aliquem actum indifferenter esse.

5. Præterea. Huiusmodi actus qui secundum suum genus indifferentes sunt, ut levare festucam, & aliquid huiusmodi, non possunt habere bonitatem, & malitiam, nisi ex intentione, qua in finem referuntur. Sed contingit quod ille etiam finis in quem referuntur, indifferens est. Ergo iste actus omnino indifferens remanebit.

6. Præterea. Opera nostra non possunt esse meritoria, nisi propter Deum facta. Aut ergo ad bonitatem actus sufficit habitualis relatio in finem, aut exigitur actualis. Si sufficit habitualis: ergo si aliquis semel in anno referret omnia opera quæ facturus est in illo anno, in Deum, omnia essent meritoria; & ita facillima esset via salutis: quod est contra illud Matth. vii. 14. *Arcta est via quæ ducit ad vitam*. Si autem exigitur actualis relatio operis in Deum, tunc nunquam posset esse opus bonum, nisi aliquis actu de Deo cogitaret. Si ergo nullus actus est indifferens, tunc omnis actus quem quis exercet de Deo non cogitans, erit malus, & peccatum, quod est valde durum. Ergo necesse est aliquos actus indifferentes esse.

Sed contra. 1. Corinth. x. 31. *Omnia in gloriam Dei facite*. Aut ergo aliquis refert opus suum in gloriam Dei, aut non. Si refert, convenit quod actus ille bonitatem ex fine sortiatur, si tamen in finem illum sit referibilis, quod convenit omni actui qui de se malus non est. Si non referat, (1) præterit præceptum Apostoli, & ita peccat. Ergo de necessitate omnis actus vel est meritorius, vel demeritorius.

Præterea. Plus est facere quam dicere. Sed qui sine causa loquitur otiosa verba, peccat. Matth. xii. 36. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines,*

(1) Nicolai: præter præceptum Apostoli facit. (2) Al. virtute.

reddent rationem de eo in die iudicii. Ergo multo fortius si aliquid faciat homo quod in debitum finem non referat, peccat. Sed si in debitum finem referat, actus bonus est. Ergo de necessitate omnis actus vel bonus, vel malus est, & nullus indifferens.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt tres opiniones.

Quidam enim dicunt, quod in dictis non potest esse aliquid indifferens, in factis autem potest. Verbum enim ordinatum est ad aliquid, quia est signum rei; factum autem, cum non sit signum, non est ordinatum ad aliquid: & ideo in verbo incidit deformitas, si otiose proferatur; non autem in facto, si sine causa legitima fiat. Sed hæc ratio nulla est: quia quamvis non sit ordinatum ad aliquid sicut signum ad signatum, est tamen ordinatum ad aliquid sicut ad finem: quia omne quod à principio est, ad finem aliquem tendit: ortum autem opponitur illi ordini qui est ejus quod est ad finem ipsum, & non ordini qui est signi ad signatum.

Et ideo alii dicunt, quod tam in dictis, quam in factis contingit aliqua esse indifferencia, quæ nec bona, nec mala sunt; sicut illa quæ non ordinantur ad impletionem præceptorum Dei, ut sic propter Deum fiant, nec etiam divinis contrariantur præceptis, siue sint in dictis, siue in factis; ut si aliquis alicui loquatur ex quadam civili amicitia, vel etiam aliquod opus amicabile ad ipsum exercet. Sed hæc non videtur esse instantia: quia actus virtutis politica non est indifferens, sed de se bonus est; & si sit gratia informatus, erit meritorius. Non est autem accipere aliquid in quod ordinatur humanus actus, quod vel secundum virtutem politicam rectum non sit, vel etiam rectitudini adversum: quia non potest esse aliquis actus procedens ab aliquo deliberante sine intentione finis, ut in II. Metaph. text. com. vii. dicitur. Finis autem ille est bonum conveniens homini vel secundum animam, vel secundum corpus, vel secundum etiam res exteriores, quæ ad utrumque ordinantur: & hoc quidem bonum, nisi sit contrarium illi bono quod est hominis bonum secundum rationem, rectitudinem virtutis civilis habet: quia virtus civilis dirigit in omnibus quæ sunt corporis, & etiam quæ propter corpus quæruntur: unde si his aliquis mediocriter utatur, erit usus rectus; si autem secundum abundantiam, vel defectum, erit usus vitiosus virtuti oppositus.

Et ideo aliter secundum alios dicendum est, quod nullus actus à voluntate deliberata progrediens potest esse qui non sit bonus, vel malus, non tantum secundum Theologum, sed etiam secundum moralem Philosophum: & ulterius non potest esse aliquis actus à deliberata (2) voluntate procedens in habente gratiam qui non sit meritorius; sed tamen in non habente gratiam potest esse aliquis actus deliberatus qui nec meritorius, nec demeritorius est; tamen est bonus, vel malus. Cujus ratio est, quia malum, in quantum malum, non opponitur bono, nisi sicut privato habitui; sed oppositio contrarietatis est ex hoc quod illud ens supra quod fundatur talis privatio, non comparitur secum aliquod bonum quod est simpliciter bonum; sicut immoderata delectatio in cibis non comparitur secum bonum sobrietatis, quod est simpliciter bonum; & ideo illa immoderata delectatio

tio adiungitur cum privatione boni, & sic mala dicitur. Si ergo in actionibus invenitur medium inter bonum & malum, hoc non erit, nisi in quantum bonum, & malum sunt contraria, vel in quantum malum est privatio boni. Non autem in quantum sunt contraria, potest in eis esse medium quod sit neque bonum, neque malum. Dicuntur enim contraria, secundum quod in utroque aliquid positive consideratur; ex quo non potest sumi ratio mali, unde propter hoc quod medium distat ab extremis, in quantum aliquid positive ponit, non efficitur distans a ratione boni, & mali, ut possit dici neque bonum, neque malum: non enim ex eodem est in eis oppositio contrarietatis, & distinctio boni, & mali; sed primum est ex parte positionis in utroque, secundum autem ex parte privationis in malo, & positionis in bono. Si ergo sit medium inter bonum & malum in actionibus, hoc non erit, nisi secundum quod malum bono privative opponitur; sed in privative oppositis non invenitur medium, nisi per hoc quod subjectum non est susceptivum habitus; ut lapis, quia visionis susceptivus non est, neque videns, neque cæcus dicitur: & per hunc modum oportet accipere medium inter bonum & malum, ut si aliquid est quod alicujus bonitatis non est susceptivum, non opposita malitia sibi erit: unde relinquatur indifferentens. Hoc autem contingit dupliciter. Aut per modum abstractionis, secundum quod universale alicuius significatur ut abstractum a differentiis contrariis dividendis ipsum; unde in sua communitate (3) significatur, significatur ut indifferentem se habens ad utramlibet differentiarum: sicut animal neque significatur ut rationale, neque ut irrationale; & tamen oportet quod omne particulare animal, rationale, vel irrationale sit: & similiter est hic. Si enim significetur actus in eo quod est agere, habet quidem bonitatem naturalem, in quantum est ens; sed indifferentem se habet ad bonitatem, & malitiam moralem: & similiter bonum ex genere indifferentem se habet ad bonum, & malum ex circumstantia, & fine; quamvis non invenitur aliquid bonum (4) in particulari quod non sit aliqua circumstantia vestitum, & ad aliquem finem ordinatum: unde oportet quod bonitatem, vel malitiam contrahat. Et secundum hanc considerationem quidam dixerunt, omnes actus indifferentes esse in eo quod sunt actus; & quidam dixerunt, quod non omnes, sed aliqui; accipientes magis in speciali nomina actuum, quæ non exprimunt aliquid, unde actus ad malitiam, vel bonitatem determinetur, ut materiam, & finem, & circumstantiam, sicut comedere, coire, vel aliquid huiusmodi. Alio modo contingit hoc, secundum quod aliquid particulare signatum deficit a susceptibilitate alicujus perfectionis, sicut lapis a susceptibilitate visus: & hoc modo aliqui actus qui deficiunt a susceptibilitate bonitatis moralis, dicuntur indifferentes. Actus autem susceptibilis est bonitatis moralis, secundum quod humanus est: humanus autem est, secundum quod aliquatenus ratione deducitur: quod contingit in illis actibus tantum qui imperantur a voluntate, quæ consequitur deliberationem rationis. Actus autem qui sequuntur apprehensionem subitæ imaginationis, sicut confricatio barbe, & aliquid huiusmodi, dicuntur hoc modo indifferentes. Nullus autem eorum qui voluntatem deliberatam sequitur, indifferentens erit; sed de necessitate

(3) Forte acceptum. (4) Al. in genere particulari. Forte aliquid bonum ex genere in particulari.
 (5) Al. proficiunt. (6) Al. secundum quod genus.

vel bonus, vel malus bonitate, vel malitia civili: sed ramen actus bonitate civili perfectus, non est susceptibilis efficaciam merendi, nisi in eo qui gratiam habet: & ideo in eo qui caret gratia, indifferentens est ad meritum, & demeritum; sed in illo qui gratiam habet, oportet vel meritum, vel demeritum esse: quia sicut malus erit demeritorius, sic etiam bonus erit meritorius: quia cum charitas imperet omnibus virtutibus, sicut voluntas omnibus potentiis, oportet quod quicquid ordinatur in finem alicujus virtutis, ordinetur in finem charitatis: & cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicujus virtutis, in finem charitatis ordinatus remanebit, & ita meritorius erit: & sic comedere, & bibere servato modo temperantiam, & ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliæ, quæ medium tenet in ludis, ut dicitur II. Ethic. cap. ix. meritorium erit in eo qui charitatem habet; quæ Deum ultimum finem vitæ suæ constituit.

Ad primum ergo dicendum, sicut ait Commentator in X. Metaph. quod dicitur homo neque bonus, neque malus, qui non est susceptibilis bonitatis, vel malitiam civilis; sicut agrestis, qui extra civilem vitam est, & per consequens actiones ejus neque bonæ, neque malæ sunt civiliter, in quantum non sunt ordinatæ ad civile bonum. Vel melius dicendum, quod Philosophus appellat malum non omnem actum inordinatum, sed solum illum qui nocivus est respectu alterius: unde dicit in IV. Ethicor. cap. xv. quod prodigus, quia causa jactantiam suam inordinate expendit, non est malus, sed vanus; & similiter de multis alijs vitiis dicit: & sic patet quod ipse strictius accipit malum quam nos dicentes omnem actum inordinatum esse malum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis extra charitatem non sit bonum meritorium, tamen est ibi bonum aliquod vel ex circumstantia, vel ex virtute civili: unde non sequitur quod actus eorum qui charitate carent, sint demeritorii, vel indifferentes.

Ad tertium dicendum, quod non solum actus charitatis est meritorius, sed etiam actus aliarum virtutum, secundum quod gratia informantur; licet meritorii esse non possint, nisi secundum quod reducuntur in finem charitatis. Non autem oportet quod semper actus in finem illum reducatur; sed sufficit ad efficaciam merendi quod in fines aliarum virtutum actu reducatur: qui enim intendit castitatem servare, etiamsi nihil de charitate cogitet, constat quod meretur, si gratiam habet. Omnis autem actus in aliquid bonum tendens, nisi inordinate in illud tendat, habet pro fine bonum alicujus virtutis, eo quod virtutes sufficienter (5) perficiunt circa omnia quæ possunt esse bona hominis: & ita patet quod ratio non procedit.

Ad quartum dicendum, quod nihil est in genere quod non sit in aliqua ejus specie ut in II. Topicor. cap. ii. dicitur: & ita nunquam contingit ad mulierem accedere, quin accedatur ad talem, & tali tempore, & similiter secundum alias circumstantias: & ita quamvis sit indifferentens dictus actus consideratus (6) secundum genus; non tamen secundum quod exercetur in actu, indifferentens est.

Ad quintum dicendum, quod cum nihil appetatur, nisi in quantum est bonum, impossibile est quod finis ad quem ordinatur actio ex deliberatione, sit indifferentens: quia vel ratio decipitur, & judicatur esse

bonum sibi quod non est bonum; & hoc non est nisi quando finis est malus, discordans a rationis rectitudine; quamvis hoc quod desideratur, forte sit bonum desideranti secundum aliquid sui, ut secundum gustum, vel secundum tactum delectabile: vel est bonum simpliciter, & sic etiam actus ex fine erit bonus.

Ad sextum dicendum, quod non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur. Nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni quæ dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur; sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quicquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si queratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam querere quando oportet habitum charitatis exire in actum: quia quocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.

Sed quia aliquos actus indifferentes ponimus, ideo oportet ad alia respondere.

Ad septimum dicendum, quod hoc quod dicitur: *Omnia in gloriam Dei facite*, potest intelligi dupliciter: vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus: Nihil contra Deum faciatis: & hoc modo præceptum est; & sic præceptum hoc præterit vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum, & præter Deum fit. Si autem intelligatur affirmative, hoc potest esse dupliciter. Aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis; & sic adhuc præceptum est: & contingit omissionem ejus esse venialem, vel mortalem, sicut dictum est. Vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet liberæ actioni nostræ; & sic potest intelligi dupliciter: vel distributive, vel collective. Si distributive, sic est sensus: Quocumque actionem faciatis, melius est si eam actu in Deum ordinetis: & sic est consilium. Si autem sumatur collective, sic est sensus: Omnia opera vestra ita faciatis quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis: & hoc nec præceptum, nec consilium est, sed finis præcepti, ad quod per impletionem præceptorum pervenitur: sic enim Sancti in patria actus suos in Deum referunt. Sciendum tamen, quod qualitercumque affirmative exprimitur, non intelligitur nisi de operibus deliberatæ voluntatis, quia illa tantum opera proprie nostra dici possunt, ut dictum est.

Ad octavum dicendum, quod verbum est immoderate dicitur effectus rationis; & ideo minus potest verbum præter deliberationem esse quam factum: & propter hoc, verbum otiosum magis est peccatum veniale quam factum otiosum. Sciendum tamen, quod se-

cundum Gregorium, part. iii. Past. admon. 15. in fin. otiosum est quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione justæ necessitatis: unde non omne verbum jocosum est otiosum, si ad recreationem referatur: quia etiam in jocos contingit esse virtutem eutrapeliæ, de qua Philosophus in IV. Ethic. cap. lxxxvi. determinat.

EXPOSITIO TEXTUS.

Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Si universaliter intelligitur, oportet exponi de affectu eligente, & non solum intendente, ut dictum est.

Ubi (1) fides non erat, bonum opus non erat, id est meritorium. De hoc tamen in sequenti distinctione quaeretur.

Qui dicunt omnes actus esse indifferentes. Illi considerabant actus secundum rationem generis tantum: quia in quantum actus (2) est generaliter sumptus, indifferentens est ad bonitatem, vel malitiam moralem, quamvis habeat bonitatem naturalem. Si tamen intelligebant de actu particulariter accepto, sic simpliciter falsa erat ista opinio. Sed hoc non videntur intellexisse: quia actionem particulariter acceptam dicebant esse conjunctam cuidam fini, ex quo bonitatem, vel malitiam habet, sicut furari, vel aliquid huiusmodi.

Aliis autem videtur quod quidam actus in se mali sunt. Isti accipiebant actus, secundum quod ad aliquam speciem determinantur, non tamen secundum quod sunt individuati: & quia aliqui actus ex specie sua habent bonitatem, & aliqui malitiam, & aliqui neutrum, ut levare festucam; ideo distinguebant actus per tria genera: & quia illud quod inest alicui ex specie sua, nunquam recedit ab eo, ideo dicebant, quod actus qui non sunt indifferentes, si sunt boni, quacumque intentione fiant, boni remanent, & similiter de malis: intelligentes de bonitate ex genere, vel ex specie actus: non quod actus qui erat bonus ex genere, vel circumstantia, si fieret mala intentione, esset bonus simpliciter; sed quia bonus remanebat ex genere.

Sed Augustinus evidenter docet, omnes actus secundum intentionem, & causam judicandos bonos, vel malos. Hic ponitur tertia opinio; & hæc accipit actum bonum, vel malum simpliciter. Et quia intentio mala sufficit ad hoc quod actus sit malus simpliciter, non tamen intentio bona sufficit ad hoc quod actus sit bonus simpliciter; ideo ex intentione, secundum hanc opinionem, judicantur actus mali, non autem boni; & sic patet quod quælibet harum trium opinionum secundum aliquid vera est.

Qui crucifigendo Christum, arbitrabantur se obsequium præstare Deo. Hoc intelligitur de minoribus deceptis dum tamen, quod qualitercumque affirmative exprimitur, non intelligitur nisi de operibus deliberatæ voluntatis, quia illa tantum opera proprie nostra dici possunt, ut dictum est.

Quæ tamen quidam contendunt, nunquam habere bonam causam. Hoc dicunt illi de prima opinione, vel etiam de secunda: & accipiunt causam, & non finem ultimum, sed finem proximum, qui malus est; hoc, verbum otiosum magis est peccatum veniale quam factum otiosum. Sciendum tamen, quod se-

(1) Al. Si Deus non erat. (2) Al. est indifferentens, est generaliter sumptus ad bonitatem, &c.